

Johann Vake

**Argumenta ex Lumine Rationis Resurrectionem Carnis probantia : olim  
Germanice conscripta, nunc Syllogistice quidem, modeste tamen Repetita**

Hamburgi: Neumannus, [1697]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825706459>

Druck Freier  Zugang



10  
11  
12  
13

L.a-d 420p <sup>May</sup>  
212 p  
104 p  
Wf. 103 p  
64 p

51. c. 6.

26 p

19 p

W. 210 p

64 p

52 p

23 p

16 p

16 p

38 p <sup>7ud.</sup>

8 p

16 p

121 - 140 p

Fig. - 1069<sup>1</sup> - 27.





21  
ARGUMENTA

ex

LUMINE RATIONIS  
RESURRECTIONEM  
CARNIS

probantia,

olim

Germanice conscripta,

nunc


Syllogisticè quidem, modestè tamen

Repetita

per

M. JOHANNEM VAKE,

Archi-Diaconum Paulo-Petrinum



---

HAMBURGI, Literis CONRADI NEUMANNI, Senatus  
& Gymnasij Typographi, Anno 1697, d. 20. Maji.

ARGUMENTA  
29  
RESURRECTIONE  
R *Esurrectionem carnis a bonitate pariter,  
ac justitia Dei potius requiri, quam repu-  
diari, adhæc ex parte rei nullam invol-  
vere contradictionem, celeberrimus, quem  
modo laudabam, Dn. D. Fechtius T. I. Noct.  
Christ. p. 900. declaravit solidissime.*

Nolo hæc verba annumerare contradi-  
ctoriis, ne immodestus videar. Interim pro  
mea sententia quam luculentissime & alle-  
gata, & confirmata, (*declaravit solidissime*),  
ambabus accipio.



HAMBURGI, LIBRIS CONRADI NEUMANNI, SCIENTIÆ  
& Litterarum Typographi, Anno 1757. d. 20. Martii.

Pro  
RESURRECTIONE CARNIS  
PIORUM

militant  
Argumenta Sequentia.  
*Primum.*

**Q**ui vult, ut homines agnitam Dei benignitatem, potentiam & sapientiam celebrent obedienter, & perfecte, tanquam finem, ille vult etiam Resurrectionem piorum, tanquam unicum medium ad consequendum illum finem.

Hanc majorem certe non-neminem docuit Logica Hamburgensis p. 450. Hoc argumentum non minus nervose, quam eleganter profecutus est *Athenagoras* libr. de Resurr. Mort. Tom. II. X. col. 37. C. D. E. Biblioth. SS. Patrum, ubi inter alia: *quod si mens & ratio datae sunt hominibus ad judicationem non intelligibilium modo substantiarum, sed sapientiae quoque ejus, justitiae, & bonitatis, qui ista dedit, necessum est, permanentibus iis, quorum gratia rationalis judicatio data est, & ipsam quoque permanere judicationem, quae istis discernendis attributa est.*

):( 2

ta est,

ta est. Hanc autem permanere impossibile est, nisi ea natura permaneat, quæ illam intra sedem suam recipit, & fovet: qui autem mentem & rationem intra se recipit, homo est, non anima per se: hominem igitur oportet utroque constantem in perpetuum permanere. Hunc autem impossibile est permanere, nisi resurgat: nisi enim intercedat Resurrectio, nequaquam permanerit hominum natura: hominum porro natura non permanente, frustra &c. Quod si undique ab omnibus operibus Dei, & ab illius muneribus exclusa est frustraneitas, necessarium est omnium, cum animæ immortalitate coæternam esse corporis perduratiorem secundum suam naturam.

*Secundum.*

Quicquid divino conducit honori, & simul medium est ad consequendum finem, (sic enim hæc major supplenda est ex antecedentibus,) illud vult Deus. Quis modestus hanc propositionem annumerabit *ἀδόξοις*, & *παράδοξοις*? Vel sic potest formari Major.

Quicquid non tantum est medium finis consecutivum, sed & insuper divino inservit

honori,

honor, illud vult Deus. Ubi honor divinus  
argumento superaddit pondus.

*Tertium.*

Quicumque est Pater summe misericors,  
ille filios suos obedientes, sive morigeros, si-  
biq; charos non linoquit in morte, sed eripit.  
Paterne enim affectus illum adigit, ut hoc  
efficiat.

*Quartum.*

Quicumq; paternum affectum habet erga  
homines pios, ille eosdē non sine solatio finit  
vivere contra horrorem mortis: Pater enim  
fidelis solatur liberos mœstos efficacissimè.

Si vero pii nullam spem resurrectionis ha-  
berent, Deus illos dereliqueret mœstos,  
(cum nullum aliud contra horrorem mortis  
suppetat solatium, quam unice spes Resurre-  
ctionis.) Id quod falsissimum, est etenim  
contra Paternum Dei affectum.

*Quintum.*

Si homines sine spe Resurrectionis ex ordinatione divina vi-  
vunt, sunt deterioris conditionis quam bruta; siquidem omni so-  
latio destituti propter metum mortis semper imminentis in per-  
petuo mœrore vitam degunt, quem bruta neque sentiunt, neque  
sentire possunt. Sed consequens est falsum, E. & Antecedens.

Falsitas consequentis probatur exinde, quia Creator no-  
luit hominem deterioris esse conditionis, quam bruta, cum  
propter hominem condiderit omnia fere visibilia, ut illi & ani-  
mo, &

mo, & corpore esset benè. Bonitas vero animi nisi maxima, certe nec minima est gaudium & lætitia, quæ vere solida oritur unicè ex spe Resurrectionis.

*Sextum*

Militat pro Resurrectione Impiorum,

*petitum*

A Justitia DEI punitiva sive  
vindictiva.

Quæcunque simul peccarunt, illa simul puniri, necesse est. Injustitiæ esset, unum punire, alterum impune dimittere, cum simul peccaverint.

Sed anima, & corpus hominis simul peccarunt: non tantum anima, sed & corpus, licet non æqualiter. Anima enim ad corpus sese non habet, ut homo ad securim, quæ instrumentum est inanimatum: nec ut Eques ad equum, qui tantum est forma adfistens equi: Sed ut forma informans, quæ corpori intime unita permeat totum corpus, sine cujus ministerio nulla potest patrare mala opera. Justus ergo judex securim quidem & equum impunitum potest dimittere, cum neutrum peccaverit. Justus vero Deus non inultum potest dimittere corpus, quod in homine tam peccavit, quam anima, inæquali quamvis modo. Totus homo peccavit, anima in & cum corpore: E. & totus homo puniendus, anima in & cum corpore. Socii peccati, socii poenæ. Id quod & Rabbinus docuerunt, notissima illa fabula de Claudio, & Cæco, hortum commissum custodientibus: & Tertullianus prolixius cap. XIV. XV. XVI. de Resurrectione, ubi simul convincit Resurrectionem ex judicii necessitate, & justitiæ Dei manifestatione. Breviter: Quicumque peccavit, ille est puniendus in hoc, & futuro seculo. Totus homo, anima, & corpore constans peccavit, E.

Hæc

Hæc argumenta, five sint Apodictica, five Diale-  
ctica, modo Resurrectionem Carnis sint probantia, repetere  
volui Sylogisticè, ut illis sua constaret veritas, utut tantum  
probabilis: quam ipse non obscure asserui in scripto meo  
lesquipaginarum germanico hisce verbis: *Wird ihm Gott  
diese natürliche Wahrheit noch gewisser zu erkennen ge-  
ben.* Lubet hic apponere, quæ Logica Hamburgensis ha-  
bet parte speciali libro I. Cap. I. §. II. 12. p. 275. *Demon-  
stratio, δειξις, ἢ ἀπόδειξις si late sumatur, qualemcum-  
que probationem, collectionem denotat, five certa, & ne-  
cessaria, five probabiles, vel etiam dubia sint sumptiones, mo-  
do legitima, & secundum artis regulas fiat illatio.*


Sufficiat in substrata materia hæc ἀπόδειξις. Demon-  
stratio strictè sic dicta gignit scientiam certam, qualis de Re-  
surrectione institui non potest. Qualiscunque vero a me insti-  
tuta sit, potest tamen gignere fidem humanam, scientiam  
probabilem. Addo: aliud est, rationi non prorsus, & pe-  
nitus esse ignotam: aliud, lumine naturæ posse infallibiliter  
demonstrari Resurr. Mort. Prius, non posterius assero.

Confido, hanc libertatem philosophandi, si vel contra  
nonnullorum Theologorum esset sententiam, mihi non im-  
probaturum, qui ipse sibi contra communem fere nostratum  
Theologorum sententiam de certa quadam materia prophe-  
tandi sumsit libertatem: cum mea Philosophia non parum  
utilitatis habeat apud illos, qui proh dolor! S. Scripturam  
susque deque habent, quæ sola fidem hac de re gignit divinam,  
certam, & indubitatam scientiam: illa vero prophetia magis  
curiosa sit.


Tertullianus l. c. cap. XVI. Sed cum imperium animæ,  
obsequium carni distribuimus, prospiciendum est, ne & hoc alia  
argumentatione subvertant, ut velint carnem sic in officio animæ  
collocare,

collocare, non quasi ministram, ne ex hoc sociam cogantur agnoscere. Dicent enim, ministros, & socios habere arbitrium ministrandi, atque sociandi, & potestatem suæ voluntatis in utrumque, homines sc. & ipsos; idcirco cum auctoribus merita communicare, quibus operam sponte accommodant; carnem autem nihil sapientem, nihil sentientem per semetipsum, non velle, non nolle de suo habentem, vice potius vasculi apparere animæ, ut instrumentum, non ut ministerium. Itaque animæ solius iudicium præsidere, qualiter usa sit vasculo carnis; vasculum vero ipsum non esse sententiæ obnoxium: quia nec calicem damnari, si quis eum veneno temperavit: nec gladium ad bestias pronuntiari, si quis eo latrocinium fuerit operatus. Resp. jam ergo innocens caro, ex ea parte, qua non reputabuntur illi operæ malæ. (*Si caro nihil ex sua parte operatur mali, cur sic moritur innocens, ut non resurgat?*) & nihil prohibet, innocentia nomine salvam eam fieri. Licet enim nec bonæ operæ reputentur illi, sicut nec malæ: divinæ tamen benignitati magis competit, innocentes liberare. Beneficis enim debet, optimi est autem, etiam quod non debetur, offerre. *Post alia, quibus probat, & in vascula & in instrumenta sententiam figi, pergit:* licet ab exemplo vacet diversitas rerum, (*longe dispar sit ratio, & comparatio sumatur à dissimilibus.*) Omne enim vas, vel instrumentum aliunde in usus venit, extranea omnino materia a substantia hominis: caro autem ab exordio uteri consata, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione miscetur illi & homo dicta est Gen. II, 3. de communione naturæ, quæ eam non instrumentum in operationibus præstat, sed ministerium (i. e. *instrumentum animatum*) ita & ministerium tenebitur iudicio, (*ut suscitatum corpus sistatur iudici, ad pœnam vel gloriam*) etsi de suo [*solum, & ab anima separatum*] nihil sapiat; quia portio est ejus, quæ sapit, non suppellex.

TANTUM!











ministram, ne ex hoc sociam cogantur  
in, ministros, & socios habere arbitrium  
andi, & potestatem suæ voluntatis in u-  
ipso; idcirco cum auctoribus merita  
operam sponte accommodant; carnem  
nihil sentientem per semetipsum, non  
habentem, vice potius (sculi apparere  
m, non ut ministeri) que animæ  
re, qualiter usa sit, valcu-  
le sententiæ ob-  
neno tempo-  
atrocini-  
a part-  
sua-  
m,  
t, offer-  
enta senten-  
rerum, (*longe*  
*ilibus.*) Omne enim el instrumen-  
it, extranea omnino materia a substan-  
n ab exordio uteri consata, conformata,  
in omni operatione miscetur illi & ho-  
de communione naturæ, quæ eam non  
tionibus præstat, sed ministerium (i.e.  
*m*) ita & ministerium tenebitur iudicio,  
*statur iudici, ad pœnam vel gloriam*) et si  
*ima separatum*) nihil sapiat; quia portio  
quæ sapit, non suppellex.  
**TANTUM!**

